



Nf. 22.



In hoc volumine continentur.

Gertrami de singularibus Anglorū in Eruditionem
Orientalem meritis.

Dohnsted de Cyrillo Lucari.

Boysen Elogiæ Archæologice ad iter Pauli.

Henze de Usu Librorum Apocryphorum.

Derling de more inuendi Stigmata vetust.
de seruitutis Literarij
de consuetudine proponendi Enigmata
apud veteres.

Freyer Oratoria.

Gundling Laudatio funebris de Printzen

Heineccii de Paris Consultis Christianis
de genuina Nativitate Christi æra

Hübneri Frederici Bellicofus. Acad. Lips. fundator
de studio Geographico.

Gnebel de anno et die Natiuitatis Christi

Lange. de Therapeutis in Egypto.

ij. De Esais.

Leonis de somnio vxoris Cilati

Losii Hebræos veteres Christum Bæscos quæsiuiss.
In quantum nunc Diss. D. Jo. Henr. Mættelii

ΕΜΚΡΙΣΙΣ Philologica de Becki Diss. Philolog.
ad Examen Beckii Responsio.

Lectionum suspiciã.

De peculiarihus Hebr. loquendi modis
De Angelo Dei

Confessio Fidei Claudii

De Cædricibus Mæctis

De Angelo Interprete

De textu N. T. græco

Historia linguæ Arabicæ.

Vente.

C. B. MICHAELIS

De Nominibus Christi Divinam eius Naturam
Significantibus

De nominibus Christi coenanitione designantibus
De Jeremia.

De Proverbiis Salomonis.

Lectiones Publicae et privatae.

De vocum Seminibus, ac litterarum signi-
ficatione Hieroglyphica.

De Elipsis Hebraeis

De Hebraea et adhibitis Orientis linguis e Graeca
derivandis Refutatio.

Per

LEONARDUS

Wessertall. Jriday. ed. Heineccio

JACOBUS

Grammatica Danulica.

CHRISTIANI BENEDICTI
MICHAELIS, P.P.

DISSERTATIO HISTORICO-PHILOLOGICA,
DE

IEREMIA

ET

VATICINIO

EIVS,

D. xxix. Iun. clolcccXII.

IN ILLVSTRI FRIDERICIANA

PVBLICE VENTILATA,

NVNC AVCTIOR RECUSA.

af.

HALÆ MAGDEBURGICÆ,

Typis CHRISTOPH. ANDREÆ ZEITLERI, Acad. Typ.
clolcccXVIII.

CHRISTIANI BERNARDI
MICHAELIS P.P.
DISSERTATIO HISTORICO-PHILOLOGICA
DE

PERTEMIA

VATICANO

EIVS

IN ILLUSTRI UNIVERSITATE

PUBLICE VENTILATA

AVTHORIS REVERENDISSIMI

M. D. N. CAROLUS

CHRISTOPH. ANDR. ZELLERII, AUCTORIS
MDCCCLXXII



ILLVSTRISSIMIS COMITIBVS
AC DOMINIS,

DOMINIS

CHRISTOPH FRI-
DERICH

ET

IOST CHRISTIAN,

Comitibus de Stolberg, Koenigstein,
Rochefort, Wernigeroda & Hohnstein, Dy-
nastis de Epstein, Mynzenberg, Breyberg, Aig-
mont, Lohra & Clettenberg, cetera,

COMITIBVS AC DOMINIS
MEIS CLEMENTISSIMIS,

Felicitatem!

ILLV-

ILLVSTRISSIMI COMITES,
DOMINI CLEMENTISSIMI,

ILLVSTRISSIMIS NOMINIBVS
VESTRIS audeo Differta-
tionem ex antiquitate Iu-
daica de Nominibus Chri-
sti, exinanitionem ipsius designanti-
bus, tanquam specimen exercitii mei
Academici, consecrare. Quam ad
rem non temeritas aliqua me exstimu-
lavit, sed pietas, qua VESTRAE Cle-
mentiae praequantissimis de caussis
obstrictus sum. VOS namque, ILLV-
STRISSIMI COMITES, summus rerum Ar-
biter

biter Dominos, & quasi Deos terre-
stres patriæ meæ dedit: iure igitur pot-
estis, vt Deus ipse quondam a popu-
lo suo animalium frugumque primiti-
as, sic studiorum meorum primos a me
fructus postulare. Accedit alia ratio,
quæ me singulariter mouit, plurimo-
rum videlicet maximorumque bene-
fidorum VESTRORVM recordatio, qui-
bus non modo paternam familiam, sed
me quoq; in primis mirum in modum
ornauistis: quæ vt deuotissima ac sub-
iectissima mente semper æstimauit, sic
deliberanti, quomodo animum tot
Clementiæ documentis obstrictum
declarare publice possem, commodior
nulla visa est, quam si præsentem hanc
lucubrationem VOBIS, ILLVSTRISSIMI
COMITES, dicarem. Accipite igitur,
quod offero, serena fronte, vt ab ani-
mo deuotissimo profectum, mole quid-
dem

dem exiguum ac tenue, argumenti
tamen ratione (vt spero) non omnino
spernendum. Deus autem VOS, ILLV-
STRISSIMI COMITES, seruet quam diu-
tissime, adaugeat corporis animique
vires, ac benedicat VOBIS benedictio-
nibus cæli desuper, & benedictioni-
bus abyssus iacentis infra, vt incremen-
ta DOMVS inclyta VESTRA capiat sem-
per splendidiora! Quod vouet,

ILLVSTRISSIMI ET CLEMENT. COMITES,
ILLVSTRISSIMORVM NOMINVM VESTRORVM

deuotissimus subiectissimusque cliens

HVLD, SIGM, IORD, FRIDERICI,



Q. D. B. V.

§. I.

Pus non est, Beneuo-

*Ratio insti-
tuti.*



le Lector, vt instituti nostri rationes & scopum vberius exponamus. Sequimur enim hic exemplum Viri Maxime Reverendi, *Io. Henr. Michaelis*, cuius sub præsidio habita est nuperime *dissertatio de Iesaja Pro-*

pheta eiusque vaticinio. Huius igitur vestigiis pro modulo nostro nos inhæremus, pergentes in præsentia ad *Ieremiam* Prophetam, atque hoc potissimum intendentes, vt sacrarum litterarum studiosi, quibus hanc nostram opellam destinamus, breuiter hic conficta reperiant, quæ lectionem diuini Vatis adgressuris, generatim ac præparationis loco prænotanda sunt. Quod vt feliciter fiat & cum legentium fructu, summum Numen, a quo est omne donum bonum atque perfectum, demissis precibus imploramus.

§. II. Igitur *προκαταδείξας ἐν τῷ* enarraturis quæ *Ieremia* No-
circa *Ieremianum* vaticinium prænotanda sunt, pri-
mo considerandum occurrit auctoris *Nomen* *ירמיהו* men.

A 2

C. I. L.

c. 1, 1. II. vel, quod idem est, ירמיה Dan. 9, 2. Latinis *Jeremias* vel *Hicremias*: quod quia non magis fortuitum esse iudicari debet, quam nomina ceterorum Prophetarum, in quibus cordatiores quique speculum diuinæ providentiæ cernunt; nobis ex etymologiæ fundamentis edisserendum est. Triplici autem modo ab interpretibus illud exponi meminimus. Prima videlicet *Abarbanelis* explicatio est in *Præf. ad Ezech.* f. 153. d. Quippe *Jeremiam* opinatur sic dictum esse, quod, cum missionem propheticam deprecatus esset, tamen iuerit ad prophetandum מיראת השם præ timore DOMINI, quod edixisset hic ei: *Ne timeto ab eis, ut ne consternem te coram illis.* Inde, inquit, vocatus est ירמיה, quasi dicas מירא מיה *timens a DOMINO*. Sed hanc etymologiam reiicimus, quod non solum a formatione nominum priorum eiusdem formæ abludit, ut mox patebit a); sed & grammaticæ repugnat: quia si *Mem* præfixum esset, ut vult *Abarbanel*, scribendum fuisset ירמיה, non ירמיה. Altera est vulgatiores expositio, quam ab ipso quoque Cl. *Hillero* b) adoptatam fuisse miramur, quod nempe ירמיה significet *Exaltatum a Domino*, q. d. ירה ירה exaltabit DOMINVS: quemadmodum ירמי eiusdem notiois nomen est *Esr.* 10, 32. Ab amplectenda vero illa retinet nos grammatica analogia, quippe secundum quam fieri vix potest, ut *Jerem* ex מיר in compositione nominis proprii resolvatur in *Schua*, ob latentem in ea vocali mediam radicis מיר. Tertia sententia, cui nos calculum adiicimus, explicat

a) Vid. *Hilleri Onomasticon* S. p. 219.

b) *Onomast.* p. 326, 508, & 853.

cat יִרְמָה יהוה *Proiciet* vel *Proiecit* **DOMINVS**: quem-
admodum יִבְנֶה יְהוָה *edificabit* **DOMINVS**, יִפְרֶה יְהוָה *Redi-*
met **DOMINVS**, ex יִבְנֶה יהוה & יִפְרֶה יהוה. Ratione igitur
significationis conuenit cum יִרְמָה *proiciet* **Deus**
1 Par. 7, 2. יִרְמָה *proiciet* **DOMINVS** 1 Par. 23, 19. c. 26, 31.
& יִרְמָה, quod nomen vrbs est 2 Par. 20, 16. Hæc
nominis notio congrua est tum fatis, tum argumen-
to Prophetæ. Fatis: fuit enim adf. & iſſimus Pro-
phetarum, ita vt cum Pfalte dicere poſſet: *Elevaſti*
me & PROIECISTI ME, Pf. 102, 11. Vnde Ier. 15, 17. 18.
queritur: *Propter manum tuam in ſolitudine ſedi, quo-*
niam indignatione impleuiſti me: quare factus eſt dolor
meus perpetuus, & plaga mea immedicabilis? Sed & ar-
gumento Vatis nomen congruit. Nam ſicut **PROIE-**
CTIONEM populi Iudaici a facie **DOMINI** propter
peccata, prænuſciauit, v. g. c. 7, 15. c. 12, 7. ſic ean-
dem, cum tandem eueniſſet c. 52, 3. lugubri carmine
complorauit Thren. 2, 1. **PROIECIT** Dominus, in-
quit, *de cælo in terram decus Iſraelis.*

§. III. Eſt autem non confundendus *Ieremias* *Homonymi*,
Propheta cum aliis, qui in Hebræo codice eiusdem
cum eo nominis ſunt. *Ὁμωνύμου* enim habuit 1)
principem quendam Manſſitarum 1 Par. 5, 24. 2) ci-
uem Libneſem, cuius filia vxor Ioſiæ & mater Io-
aſaſi ac Tſedekiaë fuit 2 Reg. 23, 31. c. 24, 19. Ier. 52, 1.
3) Rechabitarum nonneminem Ier. 35, 3. 4) ſacerdo-
tem aliquem poſt captiuitatem Babyloniam Neh. 10,
3. c. 12, 1. 12.

§. IV. Quantum ad ordinem Ieremiani vatici- *Ordo in*
nii, non idem ei locus olim, qui hodie, in Prophe- *Prophe-*
tarum volumi-
tarum *rum volumi-*
ne,

tarum volumine tributus fuit. Talmudistæ Jeremi-
am in frontispicio maiorum Prophetarum posuerunt,
subiectis ei primum Ezechiele ac tum demum Esaia.
Qua de re sic habetur in Tract. Talm. *Baba bathra* f.
14. b. *Esaïas*, inquit, *et si prior sit Jeremia & Ezechie-*
le ratione temporis, tamen post illos collocatur: quia enim
libri Regum finiuntur in descriptione deuastationis, & Je-
remias totus est in prædicenda deuastatione, Ezechiel ve-
ro ab initio de deuastatione, & in fine de consolatione a-
git, at Esaïas totus de consolatione; ideo iungimus præ-
ditionem desolationis descriptioni eius, consolationes vero
consolationibus. Eundem ordinem præscribit Mai-
monides in Hilboth Thephillin c. 7. §. 15. p. 95. & R. Eli-
as in Masoreth eum in libris Germanicis & Gallicanis ob-
seruari asserit: quomodo dispositos Prophetarum li-
bros cognouimus non solum in duobus MStis Biblicis
ac vno Masorethico Reu. Ministerii Erfurtenis, sed
etiam in MSto Regio Berolinensi, quod quatuor con-
stat tomis, & MSra Masora Bibliothecæ Palatina, te-
stante Buxtorff. in Comm. Mas. c. 11. p. 26. b. E con-
trario D. Kimchi in prologo super Ieremiam confir-
mat, in omnibus MStis Hispanicis seruari ordinem Pro-
phetarum maiorum secundum tempora: quem & Abar-
banel præter in Præf. ad Esaïam, & nos utique con-
ciuiorem esse iudicamus.

Pater Hil-
kias,

§. V. Pater Jeremiæ fuit *Hilkias* c. 1, 1. Hunc
autem cum ex Iudæis c) tum ex Christianis d) non-
nulli

- c) *Joseph Kimchi* apud filium *D. Kimchi* in *Comm.* ad eum
locum, & *Abarbanel* f. 97. c.
d) *Clemens Alexandr.* lib. I. *Strom.* p. 328. *Abulfaragius* in
Hist. Dynast. p. 68. alique

nulli putant esse *Hilkiam*, summum sacerdotem, qui decimo octavo anno Iosæ *αὐτόπρῶτον* legis Mosaicæ in templo reperit 2 Reg. 22, 3. 8. Quod quidem si certum foret, non minimum id in historia Ieremiæ momentum faceret. Ostenderet enim, familiæ splendorem adeo nullum veris Dei Prophetis privilegium a perfectionibus fecisse, vt Ieremias, quamlibet Pontificis filius, tamen conuiciis, verberibus, vinculis & ipsi tandem morti obnoxius euaserit, non secus ac Zacharias Ioiadæ summi sacerdotis filius, quem Iudæi lapidibus in ipso templo peremerunt 2 Par. 24, 21. & Esaias, qui licet regia stirpe (vt tradunt multi) prognatus, tamen ferra fuit dissectus. e) Verum, quod nobis istam sententiam in primis suspectam reddit, *Anathothum* (ex quo noster Ieremias oriundus) non *Pinehas*, sed *Ithamaris* familia incoluisse videtur, coll. 1 Reg. 2, 26. 27. vbi Salomo Abiatharem, vltimum de *Ithamaris* familia Pontificem, ad hereditarios fundos Anathothum ire iubet: inde vero vsque ad Babilonicam captiuitatem Tsadokus vna cum posteris suis, ex *Pinehas* familia, Pontificatum tenuit 1 Par. 5, 38. seqq. coll. Num. 25, 13. Vnde consequitur, alium esse *Hilkiam* summum sacerdotem, alium vero *Hilkiam* Anathotitam Ieremiæ patrem.

§. VI. Fuit tamen Ieremias, si familiam spe. *Familia sacerdotum*, ex sacerdotibus seu posteris Aaronis, ad sanctum Dei ministerium peculiariter delectis e. 1, 1. ex quo ordine fuit etiam *Ezechiel* Ezech. 1, 3. & *Zacharias* Zach. 1, 1. coll. Neh. 12, 16. Adeoque duplici est functus officio, sacerdotali, quod ex prouidentia Dei per ipsam nascen-

e) Vid. *Dissert. de Iesaja Propheta*. §. 5.

nascendi fortem ei obrigit, & prophético, quod ex speciali & immediata Dei vocatione habuit. Ceterum uti collegas atque tribules ob neglectum officium passim castigat, ita ei sacerdotes, quasi fanatico homini, vicissim maxime restitisse & aduersari esse intelliguntur, coll. c. 26, 7. - 11. c. 20, 1. seqq. c. 29, 26.

Patria Anathothum,

S. VII. Patria ejus fuit *Anathoth* c. 1, 1. quam Hieronymus in Comm. ad h. l. tertio ab Hierosolymis milliario versus septentrionem ponit. Sita hæc erat in tribu *Beniaminis* c. 32, 8. sed habitata a sacerdotibus, quibus olim, cum terra Canaan distribueretur, obtigerat Ios. 21, 18. Hinc facilius ad intelligendum euadit, cum Ieremias c. 37, 12. commigraturus fuisse legitur Hierosolymis ad terram *Beniaminis*, ut portionem inde (procul dubio ex patriæ fundis) acciperet in medio populi. Non autem abs re colligit *Lighefootus* f), Prophetam initio muneris sui non Hierosolymis, sed Anathothi vaticinatum, nempe donec ciues eius vitæ ipsius infidias fruerent c. 11, 21. 22. coll. c. 12, 5. 6. Id enim vel exinde fit verosimile, quod Iosias decimo octauo regni sui anno *Huldam* super inuento exemplari legis Mosæico consuluit potius, 2 Reg. 22, 14. quam *Ieremiam*, qui tamen vaticinari iam tertio decimo Iosias anno occiperat Ier. 1, 2. Nimirum illa præfens erat Hierosolymis, hic Anathothi commorabatur. Dubium tamen vix est, quin posthac maximam temporis partem in metropoli exegerit, non tam sacerdotii, quam muneris prophético causa: ut sic vaticinia ipsius cum vniuerso populo, tum Regibus atque primoribus, eo magis innotescerent. Ceterum quo

f) in Chron. T. V. p. 114.

quo animo fuerint Anathothæi in ciuem atque cognatum suum Ieremiam, liquet ex c. 11, 21. 23. & c. 12, 5. 6. Expertus enim est ipse quoque, vt complures alii, quod Christus Luc. 4, 24. ait, *Nullum Prophetam in patria sua acceptum esse.*

§. VIII. Tempus vaticinationis suæ ipse prodit c. 1, 2. 3. propheticum munus obiisse se scribens, *Actas ac tempus vade a decimo tertio anno Iosie, ac tempore Ioiakimi, ad vaticinationis undecimum vsque Sedekie annum.* Vbi tamen obseruandum, Ioiakimi tempora complecti antecessoris ac fratris Ioachasi, itemque successoris ac filii Iechoniae regnum, vtpote breuius, (vtrumque trimestre tantum fuit) coll. c. 22, 11. 12. 24. seqq. Computatis igitur octo-
decim annis Iosie. post decimum tertium eius annum residuis (triginta enim annos ac vnum regnavit 2 Reg. 22, 1.) *trimestri Ioachasi 2 Reg. 23, 31. undecim annis Ioiakimi v. 36. iterum Iechoniae trimestri c. 24, 8. & undecim annis Sedekie v. 18.* efficietur numerus *quadraginta annorum cum sex mensibus,* quos inde ab initio muneris sui ad destructam vsque a Babyloniis Rempubl. Iudaicam vaticinando exegit, notabiles admodum Iudaico regno, quippe ad quos Ezechielem c. 4, 6. in definiendis XL. annis peccatorum domus Iudæ, respexisse, probabilis interpretum est sententia. Sed & ultra undecimum Sedekie annum g) vitam Noster ac prophetiam protulit, primo quidem in Iudæa, in qua potestatem manendi acceperat c. 40, 1. seqq. deinde in Aegypto c. 43, 8. seqq. quamdiu vero,

B

hoc

g) In hoc anno ideo substituitur c. 1, 3. quod is fuerit specialis terminus partis primæ a Cap. I. vsque ad XL. vel maxime fatalis vaticiniorum Ieremie.

hoc nequit a nobis determinari, *b*) Hoc certum est, adolescentem fuisse Ieremiam, cum ei propheticum munus a Deo committeretur *i*). Ipse hoc innuit, cum c. 1. 6. ad deprecandum illud munus, sermonis imperitiam & ætatem obuertit, *quoniam puer sum*, inquit. Idem confirmari potest ex c. 16. 2. Inde enim colligere licet, Prophetam, cum iam vaticinari exorsus esset, ea fuisse ætate, qua matrimonium ordinarie solebat appeti. Conf. ergo 1 Tim. 4, 12. 2 Tim. 2, 22.

Coæui Propheta.

§. IX. Ex Prophetis autem coæuos habuit, *1*) regnante quidem *Iosia*, *Sophoniam*, coll. Soph. 1, 1. *Huldam* Prophetissam, coll. 2 Reg. 22, 14. cuius tamen vaticinia in canonem Scripturæ non sunt relata, forte etiam *Habakukum*, quippe quem de Babylonica captiuitate, tanquam proxime imminente, vaticinatum esse, ex Hab. 1, 5. 6. cognoscimus; *2*) tempo-

re
b) Nimis fabulosa sunt, quæ Moslemi apud *Herbelotium* in *Bibliotheca Orientali* p. 499. de longæuitate Ieremie tradunt *Il retourna cependant à Jerusalem* (ex *Aegyptio*) *quelque tems apres sa ruine*, & *y véquit jusqu'à l'âge de trois cent ans*, selon le sentiment de quelques *Musulmans*, & meme de quelques *Juifs*. Et paulo post: *Plusieurs Auteurs écrivent aussi, que le Prophete Ieremie demeura mort pendant cent ans, au bout desquels il ressuscita*, & véquit encore long tems sous le nom d'*Ozair*, qui est le même qu'*Esdra*.

2) *Abarbanch* facit eum duodecim quindecimue, *Schmidius* vero viginti circiter annorum. Ceterum *A. Esra* in *Comm. ad Zach. 2. 8.* Tres, inquit, prophetarunt pueri vel adolescentes, *Zacharias, Samuel, Ieremias*. conf. *1 Sam. 3, 1. seqq.*

re *Ioiakimi Priam*, cuius prophetia itidem non continetur in Scripturæ canone, sed verum tamen prophetam *k*), ab Ioiakimo occisum, Ier. 26, 20. 21. 22. 23. 3) sub *Sedekia* vero & consecutis temporibus *Ezechielem* ac *Danielem*, quorum vterque in B bylonia est vaticinatus, Ez. 1, 2 & Dan. 1, 1. seqq. sicut contra Ieremias in Iudæa & Hierosolymis. *l*) Deus nempe, qua erat in populum suum benignitate, misericordia & fide, non vnum hoc tempore aut alterum, sed plures misit prophetas, vt Iudæi, de instantibus iudiciis crebro prophetarum testimonio admoniti, resipiscerent, excusationis saltem nihil haberent. conf. Ier. 7, 13. 25. c. 25, 4. c. 29, 19. &c. Attramen & Pseudopphetarum ferax illius ætas fuit 2 Petr. 2, 1. qui quæ DOMINI auctoritate proloquebatur ille, contrariis vaticiniis audacter conuellebant, coll. c. 14, 13. seqq. c. 23, 9. seqq. c. 27, 14. 18. &c. Hierosolymis nominatim tales fuerunt *Paschur filius Immer* c. 20, 6. & *Hananiah* c. 28, 1. seqq. iique ambo sacerdotes; in

B 2

B.aby-

k) Recte *Seder Olam Rabba* p. m. 55. hunc *Vriam* inter coenos Ieremiæ prophetas numerat. & p. 69. ait: *Eodem plane modo Ieremias vaticinabatur, quo Vriam.*

l) Addunt quidem *R. Gedalias* in *Schalscheleth Hakkabbata* f. 19. b. & auctor libri *Iuchasin* f. 12. b. *Baruchum* prophetam, quem ferunt sub Ioiakimo, Iechonia, & Sedekia vaticinatum, ac Babylone mortuum esse; quomodo apocryphus liber Baruchi aliquid firmamenti & auctoritatis acciperet, quippe qui c. 1, 1. auctorem suum, quem præ se fert, in Babylone ponit: sed hæc neutiquam conveniunt cum Ier. 43, 3. 6. vbi Baruchus post eversam Hierosolymam cum Ieremia in Aegyptum abreptus esse legitur,

Babylonia vero *Achab filius Kolaia*, *Sedekias filius Maaseie* c. 29, 21. & *Semaïas Neclamita* v. 24. seqq.

*Status Reip.
Iudaicæ an-
te Iosiam,*

§. X. Ad intelligendum vero Ieremiam cum primis iuvat, tempora tum antegressa, tum ipsa illa, quibus vixit ac prophetauit, ex historiis perspecta habere. Etenim historia, sicut temporum, sic vaticiniorum lux est, qua demta, tenebris & caligine plena sunt omnia. Huc spectant 2 Reg. XXI-XXV. & 2 Par. XXXIII-XXXVI. Dabimus hic potiora momenta. Effluxerant, cum Ieremias propheticum munus auspicaretur, *nonaginta quatuor anni*, ex quo decem tribus Israelitici regni propter peccata sua, imprimis idololatriam, ab Assyriis deportatæ fuerant 2 Reg. 18, 9. seqq. Quod seueritatis diuinæ exemplum licet vidissent Iudæi, tamen non modo emendati non fuerant, sed ipsi etiam Israelitis peius atque deterius se gesserant Ier. 3, 6-11. Ezech. 23, 11. seqq. sub impio *Manasse*, huiusque filio *Amon*, in apertissima scelera scdissimamque idololatriam prolapsi, nullis vel Prophetarum vocibus vel inchoatis Dei iudicis reuocari se passi 2 Reg. 21, 1. seqq. 2 Par. 33, 10. Ier. 2, 30. Itaque Deus eadem seueritate, qua olim Samariæ, nunc tandem ipsius Hierosolymæ ac Judææ excidium decreuit 2 Reg. 21, 10. seqq. protinus exsequendum, nisi piissimi Regis Iosifæ supplex humiliatio dilationem mali impetrasset, ac Dominus *μᾶνοδουλας* suæ diuitias erga populum suum commonstrare voluisset c. 22, 16. 20.

item sub Iosifæ

§. XI. Cœperat Iosifas puer sedecennis octauo regni sui anno DOMINVM quærere, indeque Davidicis

vidicis infistens viis optime ac laudabiliter prorsus
 regnauerat, eliminatis idolis, non modo per Iudæam ac
 Hierosolyman, sed Manassiticam etiam, Ephraimiticam,
 ac ceteras Israelitici regni vrbes 2 Par. 34, 1-7. reparato
 item Templo v. 8. sqq. renouato cum Deo scēdere v. 29.
 seqq. Pascha solemniter celebrato, ac sacerdotum
 classibus ordinatis c. 35, 1-19. Porro iustitiam & ius
 fecerat, pauperibus maxime & adflētis, Ier. 22, 15. 16.
 Sirac. 49, 1-6. Et, vt breues simus, Spiritus S. ipse
 ei testimonium præbet, *Similem eius Regem nec ante
 nec post existisse, qui se ita conuerterit ad DOMINVM
 toto corde & animo, ac viribus omnibus, secundum uni-
 versam legem Moysi 2 Reg. 23, 25.* Sub hoc igitur Rege
 videbatur se populus Iudaicus conuertisse, indeque
 reconciliatum habere Deum, sublato publico idolo-
 mania cursu; certe sic blandiebantur illi sibi, coll.
 Ier. 2, 35. *At dicis: enim vero pura sum; omnino re-
 cessit ira eius a me.* Nihilominus tamen Deus non re-
 vertit ab excaescentia iræ suæ magnæ, qua exarserat ob
 vniuersas illas irrationes, quibus prouocarat illum Ma-
 nasses 2 Reg. 23, 26. 27. Quod paradoxon dum in-
 culcatum a Ieremia fuit, non potuit non hypocriti-
 cum populum offendere grauitur, coll. Ier. 4, 8. *E-
 iulate, quoniam non recessit aeternitas iræ DOMINI a vobis,
 & v. 10. Profecto vehementer imponi passus es populo
 huic & Hierosolyman, dicendo, Pax erit vobis, cum ta-
 men gladius ad animam usque penetraverit.* Sed ita o-
 mnia erat. nam licet Rex pietissimus anno duodeci-
 mo regni sui idolorum cultum eliminasset, 2 Par. 34,
 3. seqq. tamen quam propere populus in eum relapsus
 fuerit,

fuerit, intelligi potest partim ex eo, quod Ieremias altero statim post reformationem anno (*decimo tertio* Iosæ c. 1, 2.) tam grauius idololatriam arguat c. 2, 11. c. 7, 17. 18. partim vero exinde, quod anno *decimo octauo* Iosæ, cum Rex fœdus Deum inter ac populum renouaret 2 Par. 34, 8. 29-32. nouo idolorum exterminio opus, ac populus ad cultum Dei adigendus fuerit v. 33. Impietas nempe & idolorum insanus amor ita infederat animis, vt, quidquid Iosias contra statueret, summa leuitate mox ad ingenium redirent Ierem. 3, 4. 5. 10. nec, vt cœperant, serio ac fideliter pergerent c. 4, 1-4. sed, conuersione per hypocrisis simulata, *manerent* nihilominus *auerſi* a Deo *auerſione perpetua* c. 8, 5. 6. cultu ac ceremoniis externis contenti c. 6, 20. ac temeraria in eis fiducia adquiescentes c. 7, 4. quasi cum flagitiis quibusuis, ac idololatria cumprimis, bene consisterent v. 5. seqq. Igitur iusto fit tandem iudicio Dei, vt Iosias, & sine sufficiente causa, contra Nechonem *Ægyptium* pugnare obstinasset, prælio apud Megidduntem commisso cæderetur 2 Par. 35, 20. seqq. cuius mortem populus vniuersus & Ieremias solemniter, ac merito quidem, luit v. 24. 25. vtpote non ipsi magis, quam Reipubl. luctuosam & tantum non exitialem Ier. 22, 10. coll. 2 Par. 34, 28. 2 Reg. 22, 20. Non male *Hist. Eccl. Goth.* p. 279. *Existimemus, ita placuisse Domino, vel funesto hoc sine laudatissimum principem ingrato populo subtrahere, ac sic pœnarum, quas dudum minatus fuerat, initium facere.*

§. XII. Ab eo enim tempore iudicia diuina, hucusque dilata, sub impiis pii Iosæ filiiis contumacem populum premere cœperunt, grauiora in dies facta, donec Rempubl. plane euerterunt. Primo *Ioachasum*, alias *Schallumum*, teroci ingenio hominem, quod iuuante populo, sed inconsulto patris victore. minor maiori fratri Ioiakimo regnum iniuste, præripuisset, Pharao post trimestrem usurpationem regni in Ægyptum (vbi & mortuus est) deportauit, imposita, prouinciæ multa 2 Reg. 23, 30-36. 2 Par. 36, 1-4. Ier. 22, 10. 11. 12. Ez. 19, 3. 4. Sic filii *Memphos ac Taphnos verticem populi Iudaici* (vt Ieremias c. 2. 16. prædixerat) *depassi sunt.*

§. XIII. Suffectus fratri *Ioiakimus, m*) qui *Elia-* sub *Ioiaki-*
him prius vocabatur, beneficio Nechonis, cuius fidu- *mo,*
 ciarius ac fœderatus initio regni sui fuit: post fractum
 vero a Chaldæis exercitum Regis Ægyptii Ier. 46,
 2 tandem ipse quoque ab eis anno octauo regni ob-
 sessus ac eo adactus fuit, vt in clientela Nebucad-
 nezaris esset, atque tributa penderet. Sed cum tertio
 post anno, videlicet vndecimo regni sui, Aegyptiaco
 auxilio fretus, rebellasset 2 Reg. 24, 1. a Chaldæis ite-
 rum obsessus, captus, & in vincula coniectus, vt cum
 ceteris Iudæis ac magnatibus de stemmate regio (in-
 ter quos Daniel ac socer eius) & cum parte vasorum
 Templi, Babylonem abduceretur 2 Par. 36, 6. Dan. 1, 1-6.
 Ez. 19, 5. sqq. sed in via (vt probabile est) vel occisus, vel
 mor-

m) Qui Matth. 1, 11. *Iexovias* dici videtur, non confundendus cum filio eiusdem nominis, de quo ibidem v. 11. & hic §. XIV. Conf. *Millii* Varr. Lect. ad eum locum & *Spanhemii* Hist. Eccl. p. 398.

mortuus, & cadaueris instar aliquo proiectus, sepultura caruit, dignum sceleribus suis supplicium nactus Ier. 22, 18. 19. c. 36, 30. Homo atrocis ac durissimi ingenii, contumax, superbus, regii splendoris ac deliciarum malus adfectator, ædificator sumtuosus, auarus, iniustus, sanguinolentus, & vt paucis multa, tyrannus v. 13. - 17. qui non contentus Vriam vatem ex Aegypto ad cædem raptasse Ier. 26, 20. nec Ieremiam vaticinia, vno comprehensa volumine, flammis iniicere veritus c. 36, 23. 24. 25. ipsum Ieremiam & pium Baruchum ad necem quæri iussit, diuino tamen seruandos miraculo v. 26. Cuius impietatis inter alia hoc fuit præmium, quod nullum habuerit in regno successorem filium v. 30.

sub Iechonia,

§. XIV. Nam filium *Iechoniam*, qui surrogatus ei fuerat, Chaldæi (forte quod male de eo suspicarentur *n*) post trimestre, cum matre eius, principibus, regiis thesauris, ac meliore populi & vasorum sacrorum parte, Babylonem deportarunt, regno ad patrum illius *Sedekiam* delato 2 Reg. 24, 8-17. conf. Ier. 13, 18. c. 22, 24. - 30. Quod Iechonias mitius supplicium acceperit, quam Ioiakimus & Sedekias, mox infra §. XVI. dicemus.

ac denique
sub Sedekia

§. XV. *Sedekias* vero, qui alias *Matthanias*, tertius Iosæ filius Ier. 32, 1. 1 Par. 3, 15. magnam Iudaico regno de se spem concitarat Thren. 4, 20. verum tristi prædecessorum exemplo nil emendatus, eorundem vestigiis pertinaciter institit, hoc ipso & sibi & Reip.

n) Ferunt in *Seder Olam Rabba* p. 71. Nebucadnezarem de Iechonia vsum dixerio: סבלה בישא גרין טבא
סבלה בישא גרין טבא
E prano cape satulus probus non nascitur.

Reip. totale excidium attrahens: ita vt iræ ac iudicii diuini argumentum fuerit, quod ille Rex fieret, ob crescentem in dies populi impietatem 2 Reg. 24, 19. 20. licet gratiam diuinam ac meritum nescio quod somniarent, qui Hierosolymis ac in Iudæa sub Sedekia regno supererant, idque non sine superba gloriatio- ne contra Babylonienfes exules, cum Iechonia capti- uos Ezech. 11, 15. Etenim quamuis a Nebucadne- zare regnum accepisset viribus attritum, vt ad res nouas eo minus suppeteret virium 2 Reg. 24, 14. dato in- super fidei sacramento per DOMINVM Ezech. 17, 13. seqq. 2 Par. 36, 13. quamuis etiam ipse quarto regni sui anno iter Babylonem fecisset, procul dubio, vt fidem suam Nebucadnezari testatiorem faceret Ier. 31, 59. ta- men sollicitatus a Regibus vicinis c. 27, 3. coll. v. 9. seqq. instigatus a Pseudoprophetis v. 14. seqq. ac deni- que a principibus suis obfirmatus c. 38, 4. 22. spreta monitione Ieremias ex ore DOMINI c. 37, 2. 2 Par. 36, 12. aduersus Nebucadnezarem infelici omine ac pror- sus exitiabili rebellauit. Babylonii enim mense quar- to anni vndecimi Sedekias Hierosolymam, per octo- decim menses obsessam, expugnarunt 2 Reg. 25, 1. seqq. Aegyptiis frustra auxilium molitis Ier. 37, 5. seqq. pe- ste interim ac fame horribiliter in vrbe grassatis c. 21, 6. 7. &c. Sedekias a Chaldæis ex tuga reprehensus, Riblamque, vbi Nebucadnezar erat, ductus, filios suos trucidari miserrimus pater vidit, ipse excecatus, vinctusque Babylonem deportatus, combustis vrbe ac templo c. 39, 5. seqq.

§ XVI. Lucem insuper scenerari potuerit vati-
cinio Ieremias specialior historiarum consideratio-
num

*Specialior
consideratio
historica 1)*

de pœnis ad
culpam
comparata.
Comparan-
tur a) Ie-
chonias &
Sedekias;

num biga. Prior est hæc, quod *ultimi isti Reges, ut contumaciæ aduersus DOMINVM, sic pœnarum gradibus diuersi fuerint*, seu quod obseruari possit *quædam inter contumaciam eorum ac pœnam, per prophetas dicta-tam, proportio*. Nam Iechonias, tempore medius inter Ioiakimi & Sedekiaz regnum, prauas quidem vias sectatus est, ob quas merita ipsi pœna adnunciat-ur c. 13, 18. nempe captiuitatis c. 22, 24. seqq. verum præterea, quod admodum esset iuuenis, (quæ ætas vt ad virtutes, sic ad vitia flexilis est) hoc saltem non illaudabile habuit, quod Nebucadnezari spontanea deditione se permisit, ac iustis Dei iudiciis cessit 2. Reg. 24, 12. Ierem. 29, 2. ad quam submissionem obsti-nation contra Sedekias, licet Ieremias ex mandato Dei vrgeret, adduci non potuit c. 38, 17. 18. seqq. Igitur moderatior quoque Iechoniaz, quam Sedekiaz, animaduersio fuit: quippe ex carcere, (in quo ve-rosimiliter coram Deo se humiliavit) *Euzlmerodachi* gratia emerfit, victum regium & eminentiorem su-per ceteros Reges, qui Babylone erant, locum inde-ptus 2 Reg. 25, 27. seqq. Ierem. 52, 31. seqq. Sic & reli-qua multitudo, cum ipso captiuata, pios habuit viros, meliusque ac tolerabilius exilium nacta est, quam qui postea cum Sedekia sunt deportati, quos *facem* & quisquilias populi recte dixeris. Conf. inde Ier. 24. & c. 29. item Ezech. 11, 16. seqq. & c. 33, 24. seqq.

b) Ioiakim
& Sedekias.

§. XVII. Porro Ioiakimus & Sedekias contuma-ces ambo principes; sed Ioiakimo durius atrocius-que ingenium, quam Sedekiaz, fuit. Iconem Ioi-akimi ac specimina dedimus supra §. XIII. Is quamuis ali-

aliquot ex ministris suis haberet adhuc bonos ac meliora suadentes c. 36, 25. tamen his obsequutus non est: durius proinde supplicium meritus, ac *asini instar sepultus* c. 22, 18. 19. c. 36, 30. At *Sedekias*, cum *Ioiakimo* comparatus, tractabilior fuit, Ieremiam aliquoties nec inclementer audiens, forte non adeo malus futurus, nisi principum & consiliariorum suorum nequitia in transuersum actus fuisset c. 38, 4. &c. Aliquo timore Dei, quanquam seruili & hypocritico, *Sedekias* adficietur: *Ioiakimus* nullo. Hinc fata *Sedekia* duriora quidem, quam *Iechoniae*, fuerunt, utpote non captiuitati solum, sed etiam excœcati; mitiora tamen, quam *Ioiakimi*, dum placide tandem mortuus ac honesta sepultura & luctu honoratus fuit, ut multi interpretum ex c. 32, 5. & c. 34, 5. 6. colligunt o). Interim non est mirum, populi captiuitatem sub *Ioiakimo* tolerabilem, sub *Sedekia* exitiabilem fuisse: quippe quæ ad populi potius, quam Regum peccata, proportionem habebat. Nam piorum numerus, qui *Ioiakimi* tempore ex ætate *Iosia* supererat, sub *Sedekia* magis ac magis decreuit, ut par-

C 2

cere

o) Quibus omnino concinunt, quæ in *Seder Olam Rabba* p. 81. scribuntur: *Obiit Sedekias, super quo hunc planctum instituerunt, Heu qui mortuus est Rex Sedekias, bibens feces omnium superiorum ætatum! Ut impleretur illud Ier. 34, 5.* Probandus igitur non videtur *Arabs Christianus, Abulfaragius*, qui in *Historia Dynastiarum* p. 70. scribit, *Sedekiam oculis orbatum, in captiuitate sua molam, asini instar, circumagere coactum, mortuique cadaver extra muros proiectum canes vorasse.*

cere Deus non amplius posset. Et in hunc modum intelligimus illud veterum Hebræorum apud R. Sal. in Comment. ad Jer. 37. *Sedechias*, inquit, *fuit iustus*, (comparate), *etas vero illius improba: Ioiakimus contra fuit improbus, etas vero illius* (v.g. meliores principes c. 26, 24. c. 36, 25.) *iusta.*

2) de iudicis Dei gratiam pro ascedentibus.

§. XVIII. Altera harum considerationum est, quod *iudicia Dei* non uno statim eruperint impetu, sed cum tempore *gradatim processerint*, cumulatoria ac rigidiora in dies facta: ita ut contemplatio illorum tum *longanimitatis*, tum *severitatis* diuinæ, documentum illustre præbeat. Incumbebat iam tempore *Iosia* ludæis ira Dei grauis, sed cohibebatur adhuc in gratiam optimi Regis 2 Reg. 22, 13. - 19, 20. prophetis interim crebro ac serio, licet frustra, populum ut resipisceret cohortantibus c. 25, 3, seqq. conf. 2 Par. 36, 15, 16. Ariditatis tamen ac sterilitatis præludio (quo populus de agenda poenitentia efficacius moneretur) ira Dei se exserebat Ier. 5, 3. c. 12, 4, 13, c. 14, 1. seqq. atrocius post mortem *Iosia* eruptura. Eo enim casu, Aegypti Rex grauis ludææ fuit, coll. supra §. XII. & post eum multo magis Rex Babylonæ, coll. §. XIII. seqq. Porro *Sedechias* potuisset, si voluntarie se Chaldaeis (vti iussit DOMINVS) dedidisset, grauius malum euitare c. 38, 17. vt neque vrbs cum templo combusta v. 18, 23, neque ipse, trucidatis filiis ac primoribus, excæcatus fuisset c. 39, 6. 7. verum hunc supplicii cumulum, vltra decretam a Deo captiuitatem, ipsi tum sua tum populi contumacia attraxit. Ita cum populi pars maior ac potior a Babylo-

nus;

niis esset abducta, Nebucadnezar tenuioribus, quos in terra reliquit v. 9. 10. præfecit Gedaliam, vt in qualem cunq; Remp. rursus coalescerent c. 40, 11. Sed & hoc beneficio indignos fuisse, euentus commonstravit, Gedalia per insidias occiso c. 41, 1. seqq. Immo licet reliquis Iudæorum, etiam post interfectum Gedaliam, Ieremias Dei nomine bona polliceretur, si in terra mansuri essent, tamen populus, qua erat cæcitate & obstinatione, mandato DOMINI non obsequutus, in Aegyptum concessit, ibique in turpissimam idololatriam publice relapsus c. 44. tandem gladio, fame, peste absumtus c. 42. & 43. præter admodum paucos c. 44, 28. Ita igitur quo maior indulgentia Dei fuit, eo deteriores facti Iudæi: ac vicissim, quo illi deteriores facti, eo maiorem Dei rigorem in se experti sunt.

§. XIX. Habes, Lector, in quæ tempora No- *Ieremia facta*
 ster inciderit: lamentabilia profecto ac deploranda *14,*
 Thren. 3, 1. seqq. quia Spiritu S. teste, ad eum corruptionis gradum fuerat processum, vt parcendi nullus tum locus superesset 2 Reg. 24, 4. Ier. 15, 1. seqq. tanta videlicet ac tam desperata erat populi contumacia. Iraque vel coniectando intelligi potest, quomodo Ieremias ab improbo populo fuerit acceptus? p). Nempe concitavit in se concionibus suis, non Regum modo ac principum tyrannidem, sed cleri etiam ac totius populi odium c. 1, 18. 19. derisiones, calumnias, probra, insidias, maledicta, careres

C 3

p) De Ieremia *Siracides* c. 49, 9. ἐνείκωσαν γὰρ αὐτὸν, inquit; seu *Male tractaverunt illum.*

ceres, verbera ac durissima passus vincula c. 11, 18, seqq. c. 12, 5 6. c. 15, 10. c. 18, 18. seqq. c. 20. c. 26, 7. seqq. c. 32, 5. c. 36, 26. c. 37, 13. seqq. c. 38. ita vt haud temere optarit, alicubi desertorum habitare in casula, a populi sui perfidia malitiaque semotus c. 9, 1. seqq. Attamen DOMINVS contra omnes aduersariorum machinationes ipsi, vt c. 1, 18. promiserat, *murus abeneus* fuit, liberando eum a periculis & malis c. 26, 24. c. 38, 13. præstando illi auctoritatem ac reuerentiam apud ipsos hostes c. 15, 11. coll. c. 21, 1. 2. c. 37, 3. c. 42, 2. conciliando denique Nebucadnezaris gratiam c. 39, 11. 12. vndefactum, vt libertatem in Iudæa manendi impetraret c. 40, 2. seqq. Tandem inuitus cum Barucho in Aegyptum abstractus c. 43, 6. a tribulium contradictionibus & odio non magis, quam in Iudæa, immunis fuit, c. 44, 15. seqq. Quem vero exitum habuerit, de hoc admodum auctores dissentiunt. Quidam *g*) per annos multos sine prophetiis in Aegypto substituisse usque ad diem mortis suæ; alii a Nebucadnezare, cum hic anno regni sui vigesimo septimo (Ezeh. 29, 19.) Aegyptum occupasset, una cum Barucho in Babyloniam *r*) translatum; a-

- g*) Huic sententiæ additi sunt *A Esra & Abarbanel*, coll. huius Comment. in Ierem. 1, 4. seqq. fol. 98. b.
r) Sic est in *Seder Olam Rabba* p. 77. At auctor *Schalscheleth Hakkabbala* f. 20 a. Edit. Cracov. *Nebucadnezar*, inquit, captis Aegypto ac Tyro, accepit Iudeos, qui illie & in Ammonitide ac Moabitide, finitimisque Iudæa prouinciis erant, & in his Ieremiam atque Barychum, ac duxit eos Alexandriam Aegypti.

lii s) ex Aegypto Hierosolymam reuertisse, ac paulo post reditum obiisse, ferunt: Orientalium denique Christianorum t) traditio est, eum a ludæis in Aegypto obrutum lapidibus, ossaque ejus postea Alexandri M. iussu Alexandriam translata ac honorifice sepulta. Quæ, cum fabulosa partim, partim incerta sint, missa nos facimus aut saltem in medio relinquimus.

§. XX. Tantæ autem ac tot aduersitates animum *Fides in ob-*
 Prophetæ nequaquam absterruerunt, quin & *eundo mu-*
 nere suo fideliter defungeretur, & tenerrimo simul *nere*
 esset in populum suum amore. Deprecatus est quidem prophetiæ munus, c. 1, 6, partim ex timore
 homi-

s) *Herbelotius in Bibliotheca Orient. pag. 498. ex mente plurimorum Moslemorum: Il retourna cependant à Jerusalem - - l'opinion la plus commune est, qu'il mourut peu après son retour à Jerusalem.*

t) *Idem Herbelotius loc. cit. Sic Tertullianus in Scorpiace c. 8. David exagitatur, Helias fugatur, Hieremias lapidatur, cetera. Abulfaragius p. 71. Profectus est, inquit, Ieremias in Aegyptum, ubi quidam e ludæis prehensum puero incluserunt, deinde eductum lapidibus obruerunt, ita ut moreretur; sepultusque est in Aegypto: unde cum urnam eius Alexander tempore suo, in Alexandriam transtulisset, ibi sepultus est. Addit Suidas sub voce κερύλας, cum Alexander Ieremia Prophetæ ossa ex Aegypto Alexandriam transtulisset, eundem Prophetam serpentes in fluvio occidisse. Lapidibus obrutum in Aegypto fuisse, ipse etiam refert R. Gedalia in חִשְׁבֵי הַדָּבָר f. 96 b. Plura de extremo Ieremiæ fato vide apud Io. Alb. Fabricium in Cod. Pseudepigr. V. T. p. 1110. seqq.*

hominum, partim ex ineptitudinis suæ sensu; ita tamen, ut urgenti DOMINO, ac vires promittenti, contra exceptiones carnis lubenter paruerit. Sic similiter humani quid passus est, dum c. 12, 1. seqq. suas omniumque fidelium afflictiones cum iustitia & bonitate Dei committit; item dum c. 20, 7. seqq. suggerente carne, abstinere voluit ab adnunciatione verbi diuini, tot passiones ac probra sibi concitante: verum has tentationes eum mox repressisse ac superasse, diuino auxilio & finis gloriosi intuitu erectum, indidem cognoscimus. O. mnino Iudæorum persecutiones adeo animum illius non exasperarunt, ut intima potius commiseratione c. 8, 23. & pæne excessu quodam amoris populum suum amplexus, intercessionibus apud Deum eo usque insisterit, ut inhiberi aliquoties a Deo debuerit c. 7, 16. c. 11, 14. c. 14, 7. 11. seqq. Quod contra calumnias principum, qui Ieremiam infesto erga populum animo esse (c. 38, 4. & c. 43, 3.) criminabantur, obseruandum est. Attamen pertinaciter malitiosos iusto Dei iudicio aliquando reliquit potius, quam deuouit c. 6, 11. c. 18, 21. 22. 23. c. 20, 12. Qua modestia & reuerentia erga superiores fuerit, exemplo patescit ex c. 26, 14. 15. c. 37, 20.

Amor erga populum suum.
Argumentum & scopia propheticæ.
 §. XXI. Argumentum totius prophetiæ, ut c. 1, 10. exprimitur, consistit l. in euellendo, destruendo, periendo: quo pertinent comminationes, tum contra gentes, tum inprimis contra Iudæos, de fame, peste, gladio & totali totius terræ, urbis ac templi per Chaldæos excidio, propter enormia incolarum flagitia,

gita, nominatim idololatriæ, quæ propterea graui-
ter arguit, u) II. *Edificando & plantando*: quod facit
triplici potissimum ratione, dum promittit Iudæis a)
immunitatem ab instanti excidio urbis ac terræ, si verbo
Dei obediant, seque sua sponte Chaldæis permittant;
reliquis vero, post fata populi Iudaici in terra sua
relictis, incolumitatem, si in terra manere velint: c)
reditum ex Babylonia post captiuitatem LXX anno-
rum x); ad quam promissionem Daniel in primis respe-

D
xit

u) Breue harum comminationum compendium exhibet
Cap. I. sub duplici symbolo, ac duabus propositioni-
bus, 1) quod *vigilet Deus ad exsequendum verbum
suum* v. 12. 2) speciatim vero, quod *venturum sit
malum a borea* (h. e. Babylonicæ imperio) *super omnes
incolas terræ* v. 14.

x) Terminus ille LXX. annorum in Ieremia admodum est
notabilis. Luber ergo hic subicere computum illo-
rum, ex Scriptura S. quanta fieri potuit diligentia com-
pilatum. Primo igitur notetur studiose, *annum quar-
tum Ioiakimi esse primum Nebucadnezaris*, coll. Ierem.
25, 1. Inde igitur si Nebucadnezaris tempora metiam-
ur, eius regnum *quadraginta quinque* habebit annos;
scil.

ab anno quarto ad vndecimum Ioiakimi, coll.

2 Reg. 23, 36. annos 8. -

regnante Iechonia 2 Reg. 24, 8. - - - - - menses 3.

annos captiuitatis Iechonia, Ier. 52, 31. - 37. - -
qui

conficiunt summam 45. annorum
& 3. mensium.

Attendamus porro, Aegyptum Babyloniis paruissè
quadra-

xit cap. 9, 1. Esdras c. 1, 1. 2 Par. 36, 22. & secundum nonnullos Zacharias c. 1, 12. & c. 7, 5. & γ) quod primarium est, *aduentum MESSIAE*, cuius personam, officium, beneficia & regnum luculenter describit, in primis c. 23. 30. & 31. Hoc ipsum autem libri argumentum simul exhibet eius scopum, in eo consistentem, ut omnis carnalis praesumptio ac securitas *destruatur*, ac e contrario humiliati, euangelicis promissionibus, de conseruanda Ecclesia sub V. Oeconomia, amplificandaque sub Noua, *adificentur*.

Partes eiusdem,

§. XXII. Duæ sunt *partes libri generales, I. VATICINIA ad POPVLVM DEI*, Israelem & Iudam in primis, subdiuidenda rursus in ea, quæ 1) ab Iosifæ decimo tertio anno ad vrbs usque exidium publicata, a Cap. I. vsque ad Cap. XXXIX. item c. XLV.

coll. quadraginta annos, coll. Ezech. 29, 11. 12. 13. quorum initium annum vigesimum septimum captiuitatis Iechoniae s. trigessimum quintum Nebucadnezaris non auertit, coll. Ezech. 29, 17. seqq. cum v. 1. 2. Demamur igitur de quadraginta illis annis decem, quibus viuo adhuc Nebucadnezari subiecta Aegyptus fuit: sic pro successoribus eius, Euilmerodacti & Belsafare, supererunt triginta anni seruitutis Aegypti. Vnde conficiuntur a primo anno Nebucadnezaris, vsque ad finem seruitutis Aegypti, 75. anni & 3. menses. Iam supponimus, annos istos seruentis Aegypti excurrere ad finem 70. annorum Ieremiae, coll. Ier. 25, 11. 12. cum v. 19. Supponimus porro, hos 70. annos cum Nebucadnezaris nepote Belsafare terminari, coll. c. 27, 7. & Dan. 9, 2. 1. c. 5, 30. c. 6, 1. Inde igitur si regrediamur, *initium septuaginta annorum incidet in annum octauum Iosifaki,* quo hic Nebucadnezari seruire coepit, coll. 2 Reg. 24, 1.

coll. frontispicio libri c. 1, 1. 2. 3. 2) quæ post urbis excidium ad Iudæorum reliquias, partim in Iudæa, partim in Ægypto, habita sunt, adspersis huius temporis historiis, c. XL-XLIV. collato nouo huius partis titulo c. 40, 1. II. *VATICINIA contra GENTES, Ægyptios, Philisthæos, Moabitas, Ammonitas, Idumæos, Damasce-nos, Cedarenos, Hatforenos, Elamitas, ipsosque Babylonios, c. XLVI-LI. (Caput LII. est velut historica appendix) coll. huius partis inscriptione generalic. 46, 1. Quæ vero c. 25, 9. seqq. & c. 27, 1. seqq. contra gentes scripta reperiuntur, tantum prodromi & compendii instar sunt.*

§. XXIII. Hæc vaticina Ieremias, iussu Dei, in *Ordo vaticiniorum Ieremias.* litteras vniuersâ retulit, vt & cœuis prælegerentur, c. 36, 2. seqq. & posteritati, ad quam plurima pertinebant, infervirent c. 30, 2. seqq. & 36. coll. v. 24. Conf. etiam c. 29, 1. c. 51, 60. Sed & hoc certum est, ipsam quoque ordinem, quo prophetiæ per totum librum dispositæ sunt, ab Ieremia esse, etiamsi temporum rationibus, seu chronotaxi, non sit adcommodatus, coll. c. 25, 3. Huius vero dispositionis, utut possit qualiscunque ratio & nexus inueniri, maxime ex argumenti cognatione; tamen, teste *Lighthooto* in Chronol. V. T. difficilis subinde est, & nonnullibi pæne *adversus*. *Non enim cura erat Prophetis (sunt verba Hieronymi ex Comment. eius in c. 25, 1.) tempora conservare, quæ historie leges desiderant; sed scribere, utcumque audientibus atque lectoris utile noverant.*

§. XXIV. Quoniam vero ad intelligendum eo *Eorundem*
D 2 *rectius chronotaxi.*

rectius vaticinia mulrum *chronotaxis* valet; itaque singulas prophetias secundum temporis rationem breviter hic in gratiam Lectoris digeremus.

Ad IOSIAE
tempore
feruntur
c. I. - XII. *Sola quidem c. I, 2. & c. III, 6. IOSIAE tempus*
expressum præ se ferunt; attamen inde a c. I. vsque
ad c. XII. inclus. nullum adparet vestigium, ex quo
colligi possit, ordinem temporis fuisse transpositum.
Relinquenda sunt igitur ista capita, iudice *Lightfooto*,
eo loco & ferie, qua collocata. Sed præterea Iosia
c. XIV. temporibus, vt videtur, accensenda sunt c. XIV. XV.
XV. XVI. & XVI. Nam c. XIV. agit *de ariditate*, coll. v. 1. de
qua Ieremias sub Iosia prædixit, coll. c. 3, 3. 4. 6. c. 5.
24. c. 8, 13. 20. c. 9, 10. 12. c. 12, 4. XVtum vero cum fine
præcedentis arctissime cohæret, ceu responsum ad
Prophetæ intercessionem: neque v. 4. ab Iosia tem-
pore abludit, coll. 2 Reg. 23, 26. seqq. Sic & c. XVI.
eo est tempore editum, cum forte iuuenis adhuc Ie-
remias de matrimonio cogitaret v. 2. quod vix pot-
est, nisi Iosia regnante, accidisse, licet *Lightfooto* a-
liter sit visum: nam Propheta sub initium Regis Io-
iakimi probabiliter iam annum quadragesimum age-
bat, coll. c. 25, 3. Denique c. XLVII. editum *ante per-*
cussam a Pharaone Gazam, ad vltima Iosia tempora,
aut proxime post fata eius, referendum videtur, li-
cet alii ad Sedekia tempora referre malint.

Ad IOIAE
KIMI tem-
pora
c. XVII.
X. III.
XIX. XX. *Hoc vero concedimus, c. XVII. XVIII. XIX. &*
XX. ad IOIAKIMI regnum pertinere. Nam c. xvii.
arguit 1) fiduciam in Ægyptiaco auxilio v. 5. 2) o-
pes iniuste corrosas v. 11. quorum vtrumque *Ioiakimo*
peculiariter proprium fuit, coll. 2 Reg. 23, 34. Ier. 22, 13.
17, 3

17. 3) vix ausus fuisset Paschur Ieremiæ tam petulanter iasultare sub Iosia, vti factum legimus c. XX. quod vero per v. 1. cum præcedentibus c. XVIII. & XIX. arcte copulatur, licet annum, in quem inciderint, determinare nequeamus. Ceterum c. XXII, c. XXII, 1-23. pertinet ad prima ac florentiora Ioiakimi tempora, coll. v. 18. cum haud ita pridem Schallum, seu Ioschafus, in Ægyptum deportatus fuisset, coll. v. 10. 11. 12. Ei vero connexum est sequens c. XXIII. quippe c. XXIII. quod directum est itidem contra malos pastores seu Reges v. 1. contra quos fuerat c. XXII. Succedit c. XXV. quarto Ioiakimi anno editum v. 1. sicut & pleraque vaticinia contra gentes, exceptis tantum illis, quæ expressam editionis tempus ab hoc diuersum præferunt. Etenim v. 13. diferte pronocatur ad prophetias contra Babylonem aliasque gentes, cum remissione ad alteram libri partem, quæ contra gentes c. XLVI, inscribitur c. 46, 1. Huc igitur refer c. XLVI, 1-12. 1-12. contra Ægyptios, seu exercitum Nechonis, eodem anno prope Circesiam a Chaldæis cæsum v. 2. item c. XLVIII. contra Moabitas, c. XLIX. contra Ammonitas, Idumæos ac Syros, tandemque c. L. & LI, 1-59. c. XLVIII. c. XLIX. c. L. LI, 1-59. contra Babylonios: quippe his omnibus supra c. XXV. c. XXVI. prælusum tuit. His demum subiungimus c. XXVI. c. XXVI. eodem anno probabiliter editum: nam quod v. 1. de initio regni Ioiakimi habetur, facile ex c. 28, 1. cum hac sententia conciliatur. Porro sequitur c. XXXVI. cuius initium v. 1-9. ad quartum Ioiakimi annum exeuntem spectat, cetera v. 9. seqq. ad quintum, quo celebratum est Hierosolymis ieiunium extraordinarium, pro-

procul dubio, quod, cæso fœderati Nechonis exercitu, iam propius a Nebucadnezare periculum immineret. Quo tempore ad *Baruchum*, cuius opera ad describendum ac prælegendum hæc vaticinia Ieremias fuerat vsus, verbum fit DOMINI, c. XLV, c. XLV. & coll. v. 1. Et hic demum succedit c. XXXV. incipiens in octauum circiter annum *Ioiakimi*, cum iam Nebucadnezar non amplius immineret, sed actu in Iudæam irrupisset, coll. v. 11. Vid. § XIII. & *Lightfooti* Chron. p. 120.

Ad IECHONIAE regno, quod perbreue edita sunt c. XIII, coll. v. 18. qui ad Iechoniam potius, quam Ioiakimum quadrat; & c. XXII. 24. seqq. c. XIII. quod vaticinium præcedentibus contra *Ioachasum* ac c. XXII. *Ioiakimum* iungitur ob parallelismum rei: nisi malis cum antecedentibus ad Ioiakimi tempora reicere v. 18. & anticipationem statuere propheticam.

Ad SEDEKIAE regnum referri debet c. XXIV. de duobus ficuum calathis, editum post Iechoniam portatum v. 1. ita vt capite 29, 17. ceu præcedaneum respiciatur. Item c. LI, 59. seqq. incidens in quartum *Sedekiae* annum, quo Babylonem ipse cum comitatu profectus v. 59. Et huic demum, ex mente *R. Salomonis* & *Seder Olam*, subiicienda sunt c. XXVII. XXVIII. & XXIX. quippe eodem anno, & probabiliter quidem post reditum *Sedekiae* ex Babylone, edita, coll. inscriptione c. 28, 1. vnde & præcedenti c. XXVII. suum tempus constat, vtut quartum Ioiakimi annum præfixum habeat, quæ *ἐκείνου* *Φάσις* re-soluitur alibi. Aptissime vero cum c. XXIX. quod pseu-

pseudoprophetarum temerarias de restituendo Iſraele pollicitationes conuellit, iunguntur c. XXX. & XXXI. XXXI. vbi verum ſolacium ex mente Dei ſubſtituitur: quibus adde c. XLIX, 34. ſeqq. Poſthac cum obſideri vrbs a Chaldæis cœpiſſet, facta eſt prior Sedekæ ad Prophetam legatio c. XXI. cui poſt interpoſitum c. XXXIV. (editum enim hoc eſt, cum Chaldæi, ſoluta obſidione, ſuppetiis Aegyptiacis obuiam iuiſſent v. 22. nec dum eſſet Ieremias carceri incluſus v. 2.) ſuccedit altera Sedekæ legatio c. XXXVII. iſdem tempore obſidionis ſolutæ tacta, coll. v. 4. 5. cum Ieremias in carcerem iam eſſet coniectus v. 12. ſeqq. Hic edita ſunt c. XXXII. coll. v. 2. & c. XXXIII. coll. v. 1. Inde ſequuntur c. XXXVIII. coll. v. 28. & c. XXXIX, 15. ſeqq. ac tum demum huiusdem capituli XXXIX. v. 1. 14. quæ cominata ad vltima Sedekæ, ſub & poſt expugnationem vrbs, ſpectant. Adiungi hiſ poteſt, aut ad extremum vſque referuari, c. LII. ex quo plurima ſaltem huc pertinent.

Post excidium vrbs prophetias edidit Ieremias, primo in Iudæa ad reliquias ſuæ gentis c. XL. XLI ac XLII. deinde in Aegypto contra pertinaces partim Iudæos, partim contra Aegyptios c. XLIII. XLIV. quo verosimiliter referri etiam debet c. XLVI, 13. ſeqq.

§. XXV. Quod ad ſtilum Ieremiæ, Hieronymus quidem in Prologo Comment. iudicat, Ieremiam, etſi ſenſi-

c. XXX.

XXXI.

c. XLIX,

34. ſeqq.

c. XXI.

XXXIV.

c.

XXXVII.

c. XXXII.

XXXIII.

c.

XXXVIII

&

XXXIX,

15. ſeqq.

v. 1 -- 14.

c. LII.

*Post excidi-**um vrbs*

c. XL.

XLI. XLII

c. XLIII.

XLIV. &

c. XLVI,

13. ſeqq.

*De ſtilo Ie-**remia iudi-**cium Hie-**ronymi,*

*sensibus par sit, tamen sermone quidem apud Hebræos
 Esaiæ & Oseæ, & quibusdam aliis Prophetis rusticiorẽ
 videri; simplicitatemque eloqui ei a loco, in quo natus
 Cunei, est, accidisse. Indeque procul dubio P. Cuneus lib. III.
 de Republ. Hebr. c. 7. Jeremiæ omnis, maiestas, inquit,
 Abarbane- polita in verborum neglectu est. adeo illum decet rustica
 li; dictio. Abarbanel item in Præf. Comment. ad Jer. f.
 96. b. opinatur, uti cum stilo minus accurato ac eleganti.
 Quod probare præsumit ex frequenti ellipse, enallaga
 particularum אר & ער, generis item, numeri, tem-
 poris ac personarum, crebro denique usu metathe-
 seos per ὑστερον πρότερον: cuiusmodi anomalias concedit
 quidem in ceteris quoque Prophetis, sed rarius, repe-
 riri. Quin & orthographiæ minus eum peritum
 fuisse, argumentatur ex *Kriian* & *Cthibban*, quorum
 in prophetia Jeremiæ sit maior, quam in ceteris
 libris, copia. Causam huius rei in ætate Jeremiæ
 sibi invenisse videtur, quod admodum adolescens
 cœperit prophetare, cum accurati & ordinatioris
 sermonis nondum peritus esset, coll. c. 1, 6. Sed vt
Hieronymi & *Cunei* auctoritas nullam nobis assenti-
 endi necessitatem imponit, sic multo minus teme-
 rariam illam *Abarbanelis* ἡγίστην admittimus. Nam si
 Vatis pœritia defectum loquendi habuit, potuisset
 utique cum progressu temporis sibi aptius ætatem,
 genus comparare, ita vt virilem consecutus ætatem,
 sub loiakimo ac Sedekia ordinatus cum loqueretur
 tum scriberet. Quid? quod orthographia vaticinio-
 rum Jeremiæ ne eius quidem sit, sed *Baruchi*, qui
 ex ore distitantis Jeremiæ descripsit c. 36, 4. 18. pro
 quo*

quo bonum nobis contra *Abarbanclem* præiudicium facit eius titulus סופר *scriba*, & quod *Iosephus* lib. 10. c. 11. eum nobilissima ortum familia, & patria lingua præclare eruditum fuisse scribit. Quod vero enallagas ac metatheses *Ieremiæ* allegat, adeo nullius momenti est, vt istæ figuræ, tanquam ceteris etiam Prophetis solemnes, partim Hebræo idiomatici communes, partim propheticæ sublimitatis sint. Nec melius succedit argumentum a multitudine ראב Cithibhan & *Kriian*, in quo temere supponit, *Kriian* non esse, nisi emendationes seu explicationes marginales, ab *Esdra* factas secundum genium lingue & nexum textualem, iis quidem in locis, ubi scriptores sacri, propter minus sufficientem vel lingue vel grammaticæ Hebrææ notitiam erronee scripserint: quæ sane hypothesis alibi copiosius conuelli meretur; quippe quæ scriptores Θεοπνεύτους pæne omnes imperitum facit vulgus, & *Abarbancle* multum indoctiores.

§. XXVI. Enim vero *Ieremiam* a rusticitate *Nostræ* de & ignorantia linguæ facile, credo, absoluet, quisquis eodem sensu recogitauerit, 1) patriam ipsius *Anathothum* tribus *rentia*, tantummodo milliariibus ab *Hierosolyma* distitisse, 2) urbem fuisse sacerdotalem, coll. §. VII. Vbi enim magis pura fuerit Hebræa dialectus, quam *Hierosolymis* ac in vicinia? magisque culta, quam apud sacerdotes? Et quamuis forte rusticius fuisset genus dicendi *Anathothiticum*, tamen 3) *Ieremias* maiorem forte ætatis partem *Hierosolymis*, quam *Anathothi*, exegit, dictioni proin *Hierosolymitanæ* probabili-

E

ter

ter adfuetus. Quod vero maxime Ieremiam ab ignorantia sermonis vindicare potest, sunt 4) **THRENI** eius, admirabilis eloquentiæ testes. Recte enim *Sanctius, Quod stilum, inquit, Ieremias habuerit elegantem & grauem, satis docent Lamentationes, - - quibus nihil habuit antiquitas grauius, numerosius & sonantius.* Ceterum si cui nihilominus dictio Ieremiæ simplex ac tristis videtur, meminerit is, animum quoque & tempora Ieremiæ fuisse tristia, atque elegantiam adfectionem defugisse: sciat vero & hoc, simplicitatem diuinam plus sapientiæ, ponderis ac efficaciam habere, quam omnes omnium oratorum rhetoricationes. Quam efficaciam vt sentiant, quotquot diuinum Vatem legunt, ex animo precamur,

FINIS.

ADDI-

ADDITAMENTA.

I.

Ieremiam Barucho prophetias suas ad describendum dictitasse, liquet ex Ier. 36, 4. seq. & v. 32. nequaquam tamen *in carcere*, ut Heideggerus in *Enchirid. Bibl.* ex Cap. 36, 5. male intellecto collegit. Si carceri fuisset iam tum inclusus, quomodo principes v. 19. potuissent dicere Barucho: *Age, absconde te, tu & Ieremias, ut nesciat quisquam, ubi sitis.* Aut quomodo sic latitassent v. 26. ut inueniri non possent? Illud igitur עָצַר, quod errori occasionem dedit, de alio quouis *impedimento* potius, quam *carcere*, explicamus.

II.


Iudæi in *Schalscheleth Hakkabbala* fol. 19. b. & *Iuchasin* fol. 12. b. tradunt, Sophoniam prius vaticinatum, quam Ieremiam. *Sophonias*, inquiunt, *accipit ab Habakuko A. 3280. post creationem mundi; Ieremias vero a Sophonia A. 3316.* Sed ingens hic est parachronismus. Nam si Sophonias 36. annis Ieremiam vaticinando præuertisset, sequeretur, eundem Sophoniam 15. annis prius, quam Iosias in rerum natura esset, vaticinari orsum. Quippe Ieremias propheticum munus est auspiciatus, cum Iosias decimum tertium annum regni, vitæ vero vigesimum primum ageret, Ier. 1, 2. 2 Reg. 22, 1. Quomodo vero id continet cum inscriptione Sophon. 1, 1. ubi verbum Domini factum ei legitur *in diebus Iosia?* Probabiliter Sophonias *serius*, quam Ieremias, sub Iosia vaticinari cæpit:

cæpit: quia is c. 1. 8. in filios Iosæ ob luxum in vestibus inuehitur, qui sub auspiciis Ieremianæ prophetiæ partim nondum nati, partim vero admodum pueri erant.

III.

*Abarbanel in præf. ad Ier. fol. 96. a. b. Ieremiæ gradum prophetiæ proximum a Mose asserit, ex 14. conuenientiis illorum, v. gr. quod vterque fuerit ex tribu Leui, vterque detrectauerit legationem, vterque 40. annis prophético munere functus, vtrique tribules se opposuerint, vterque extra terram sanctam mortuus ac sepultus sit &c. Et propter has similitudines arbitratur cum veteribus in *Pfikta rabi bachi*, Ieremiam esse prophetam illum Mose patrem, Deut. 18, 15. 18. Verum vtut magnus nobis propheta sit Ieremias, Abarbanelis tamen iudicio non subscribimus, quia 1) externis tantum euentibus nititur, quorum pars etiam aliis prophetis cum Ieremia communis, 2) inuoluit *מאפסן ופועל ע* gregii illius [vaticinii de Messia Deut. 18. minime ferendam; 3) Abarbanel ipse sibi non constat, nam in præf. ad Esa. fol. 1. d. ait contra, prophetiam Iosæ formamque & gradum eius fuisse excelsores & perfectiores gradibus ceterorum prophetarum omnium.*





4. Okt. 1979



B 7 13.

8

Schling
Sallanta

ULB Halle

3

002 721 090




SB

W/D

MS







CHRISTIANI BENEDICTI
MICHAELIS, P.P.

DISSERTATIO HISTORICO-PHILOLOGICA,
DE

IEREMIA

ET

VATICINIO
EIVS,

D. xxix. Iun. clolcccXII.

IN ILLVSTRI FRIDERICIANA
PVBLICE VENTILATA,
NVNC AVCTOR RECUSA.

HALÆ MAGDEBURGICÆ,
Typis CHRISTOPH. ANDREÆ ZEITLERI, Acad. Typ.
clolcccXVIII.